

BASINII PARMENSIS POETAE ELEGIA IN AMICAM LISSAM

CV_1 v.1 Lissa, veni Veneris dulci comitata favore,
 2 quam mihi non dubio foedere vinxit amor.
 3 Non ego tam justis jam jam queror ignibus uri,
 4 Hyblaeis flamma est dulcior illa favis ;
 5 nam quantum rapidae carpunt mea pectora flammae,
 6 tanto habet ista animi plus tua forma mei.
 7 Hinc precor immitis ne sis formosa precanti,
 8 neu cupido tardas adde puella moras.
 9 Alma Erycis regina Venus sine fine morantes
 10 increpat et celeres ad iuvat ipse puer.
 11 Idcirco geminas nato Venus addidit alas,
 12 iret ut ante viros, iret ut ante deos.
 13 Nam domuere deos omnes hominesque ferasque
 14 sed tris non poterant perdomuisse deas.
 15 Nam nec Palladium subjectum est pectus amori,
 16 Vesta nec, haud sanctis mixta Diana choris.
 17 Idcirco silvas colit altera, at altera bellum.
 18 Curat, at illa sacros sola relictas deos.
 19 At Latona comis insignis et incluta Juno
 20 senserunt Veneris fortia tela faces ;
 21 sic et flava Ceres et magni filia Solis
 22 exusta et toto pectore Pasiphae.
 23 Et quom somnus habet Junonem dulcis, amore
 24 Juppiter ad terras victus et ipse venit.
 25 Hinc Laedam gemino et gemino Nycteida partu
 26 implet et Alcumenen Amphitryoniade ;
 27 hinc Semelen plenam dulci Cadmeida Baccho ;
 28 hinc Danae alato est mater Abantiadae,
 29 atque aliae, quarum Graii meminere poetae
 30 Callimachusque bonus Maeonidesque pater,
 31 quorum nulla tuos tacuisset musa decores,
 32 si prisco heroum tempore nata fores.
 33 Materies neque enim nec deesset gloria formae,
 34 qualis in Andromede corporis effigies.
 35 Sed color est dispar : radios tu vincere solis
 36 et potes Argolicas exsuperare nurus.
 37 Neve tibi pedibus certet Thetis alba decoris,
 38 sit licet argento proxima sura deae.
 39 Neu referam incessus Junone et Pallade dignos,
 40 aut gressus turbae, casta Diana, tuae.
 41 Has autem dotes, hoc corpus ut ipsa decoras !
 42 Naturae egregias quam bene fundis opes !

43 Omnia diine locant caelesti in corpore dona,
 44 eloquium mores ingeniumque tibi ?
 45 Non tibi carminibus certaverit aemula Sapho,
 46 non tibi nec docta Pallas et ipsa manu.
 47 Quare age quom mea lux, quom sis mea sola voluptas,
 48 Lissa veni et tardas tolle puella moras.

BASINIUS IN HONOREM GLORIOSAE VIRGINIS MARIAE MATRIS IESU OMNIPOTENTIS

CV_2 v.1 Dicite virgineum, pueri, cantate pudorem,
 2 dicite quo caeli cardine porta sonet.
 3 Pandite virgineas laudes, pia vota, puellae,
 4 pandite qua pelagus, sidera, terra tremit.
 5 Ite, sacerdotes, puris in vestibus, altae
 6 Virginis et sacris templa replete sonis.
 7 Nec colite ambages ; nunc, nunc procul omnis abesto
 8 fabula, majus agit nostra carina fretum.
 9 Mater ades Christi, tuque o puer inclyte, salve
 10 carminibusque meis accipe primitias.
 11 Et, Pater omnipotens, tuque, o sanctissima Virgo,
 12 exaudi nostras deprecor usque preces,
 13 quique tulit quondam pro me sub numine passus
 14 vulnera, qui nostra Virgine natus erat.
 15 Suscipe, diva, preces faciasque calescere corda,
 16 o Virgo, nati semper amore tui.
 17 Et potes et debes ; neque enim, mitissima Virgo,
 18 esse Dei matrem te sine laude puto.
 19 Nunc meminisse velis lacrimarum, Diva, tuarum,
 20 mersaque sit quantis nostra carina malis.
 21 Naufragium miserare meum : jactamur in alto
 22 semper et assiduis ora vagantur aquis.
 23 Te Pater omnipotens claro praefecit Olympo,
 24 te pietas summos fecit adire polos.
 25 O nato generata tuo, mirabile fatu,
 26 accipe me regnis, sancta Puella, tuis.
 27 O possem meritas tibi nunc componere laudes,
 28 o quae mens sentit lingua referre queat.
 29 Jam mihi si faveas, non me superabit Homerus,
 30 non me carminibus Graecia tota suis.
 31 Tunc ego non facjam versus ad inania divum
 32 numina, nec nostro Phoebus in ore sonet ;
 33 sed tuus illa Pater cunctarum gloria rerum,
 34 qui fuit e tanta Virgine natus homo,
 35 qui Deus infernas rupit cum cardine portas,
 36 terruit et caeci corda superba canis,
 37 victor et aeternus superas mox venit ad auras,
 38 duxit et emeritos in loca sancta viros.
 39 Hoc duce non timeam pestem, non frigora Pindi,
 40 non ferrum aut ignes stultaque bella virum ;
 41 hoc duce non timeam populos dominosque potentes,
 42 hoc duce, crede mihi, tutus et altus ero ;
 43 nec timeam humanae spernenda pericula vitae ;
 44 rege sub aeterno sospite sospes ero.
 45 Carmina non faciam placidos suadentia somnos,

46 nec semper gremio dulcis Homerus erit ;
 47 sed curem tantum claro quid agatur Olympo,
 48 quid tuus in caelo filius altus agat.
 49 Jamque roga atque humiles longos tueare per annos,
 50 Mater, et o famulos aspice, diva, tuos.

BASINIUS AD HIERONYMUM DE CASTELLO DOCTISSIMUM

CV_3 v.1 I, Meleagre, meoque refer jam, grate, salutem
 2 Hieronymo, haud tanto fabula digna viro.
 3 I tamen, o felix ! Quod te susceperit ille,
 4 sis licet infelix, nempe beatus eris.
 5 Infelix telo periit miserandus Achilles ;
 6 sanctius hoc nullum Graecia nomen habet.
 7 Occidit infelix Teucrum fortissimus Hector ;
 8 hunc quoque perpetuo vivere fama facit.
 9 Dic referant grates vati pro laudibus ambo
 10 10 quas subeunt magnas, dulcis Homere, tibi.
 11 11 Sic tu, magne puer, qui sis ornandus ab illo,
 12 12 Hieronymo referas praemia mille meo.
 13 13 Quicquid et ille jubet, tota precor effice mente,
 14 14 nec fuge divini jussa ferenda viri.
 15 15 Jusserit : absit amor, quamvis Atlanta placebit ;
 16 16 fac penitus toto pectore cedat amor.
 17 17 Duxerit in silvas : silvas, Meleagre, revise.
 18 18 Duxerit in campos : arva beata pete.
 19 19 Nec pudeat magnum pro me exorare poetam
 20 20 ut velit ; in nulla sit tibi parte pudor.
 21 21 Illius ante oculos iterum atque iterumque revolve
 22 22 carmina ; quicquid erit demat et addat eis.
 23 23 Dic quoque Hieronymo, quamvis majora placebunt,
 24 24 ne pudeat nostro carmine velle frui.
 25 25 Et data Virgilio venia est, qui carmina Galli
 26 26 legerit ingenio dicta minora suo.
 27 27 Tu quoque, si fas est, illum, Meleagre, monebis
 28 28 ut capiat magna carmina parva manu.
 29 29 Haec quoque quid valeant poteris, Meleagre, tacere,
 30 30 sed quamvis norit carmina bina canes.
 31 31 Carmina delectant inopes sine fine poetas
 32 32 exsanguique juvat litus arare bove.
 33 33 Cetera, si sapias, illi, Meleagre, tacebis ;
 34 34 ingenio juvenis noverit ista suo.
 35 35 Et puer his etjam majora canebat et illum
 36 36 Calliope Aoniis meraserat ipsa vadis.
 37 37 Ad majora venit : novit quo sidera cursu
 38 38 obvia suppositis grandia dentur aquis
 39 39 nec non Parasias avidique Lycaonis artos,
 40 40 signa vel Hesperio non adeunda freto ;
 41 41 quid pater Oceanus, quid aquae genuere, quid altis
 42 42 Natura omnipotens sedibus alma facit.
 43 43 Omnia, crede mihi, novit qui carmina nostra
 44 44 accipit ; hunc etiam nostra Thalia juvat.
 45 45 O quotiens memini cum te, Meleagre, referrem,
 46 46 Hieronymum mota dicta probasse coma.

47 Dic, si te poliat, stabit memorabilis usque
 48 me penes officii gratia firma sui.
 49 Dic quoque si quaerat quid agam : "Miserabile carmen
 50 nunc parat, arsuros carmine ferre rogos,
 51 nunc parat attonitam flammis incendere matrem,
 52 funere quae nostri mersit acerba caput.
 53 Cetera quae cecinit, porto tibi morte sub ipsa :
 54 quis vellet mortis facta referre suae ?
 55 Est grave post cineres hominem quoque vivere et illum
 56 vocibus assiduis colloquioque frui.
 57 Ante ego si morerer, timeo ne forte valerem
 58 exstinctus domini iussa referre mei".
 59 Haec ubi narraris, facito, Meleagre, salutes
 60 Hieronymum et tanto carmina trade viro.

BASINIUS AD THEODORUM GRAECUM ET QUIDEM DOCTISSIMUM

CV_4 v.1 Carmine Maeonius cautum cantavit Ulysses,
 2 duxit Achilleos dulcis Homerus equos,
 3 duxit et Ascraeus perarandas carmine glebas
 4 bosque Syracusii carmina vatis erat.
 5 Fecit utrumque pater, Romanae gloria famae,
 6 Virgilius Phrygiae conditor historiae.
 7 Ridentes elegos cecinit puer ille Tibullus,
 8 qui juvenis campos ivit ad Elysios ;
 9 et simili studio citharaque Propertius usus
 10 et Naso placidis ipse poeta jocis.
 11 Forsitan et plures quos jam mala Parca peredit,
 12 livor et assiduis cura molesta malis.
 13 Carmina non potuit sperare Basinius ista,
 14 nec puer externos tutus adire locos ;
 15 spes tamen una fuit sub te, Theodore, juvari,
 16 te duce Phoebea plectra ciere lyra.
 17 Maeonides Ithacum fortemque sequatur Achillem,
 18 dicat et Ascraeus terra quid alma ferat.
 19 Musa Syracusii pecudes pastoribus addat,
 20 dicat utrumque mei musa Maronis opus.
 21 Ridentes elegos canat et sine fine Tibullus,
 22 Cynthia cui placuit cantet et ille simul,
 23 et cantet placidam Naso sine fine puellam,
 24 et quibus ingenio fama parata suo est :
 25 at cantem meritas pro te, pater optime, laudes,
 26 quas merito dederit gloria summa tibi.
 27 O pater, Aonidum lumenque decusque dearum,
 28 qui revehis Latio Dorica vela mari,
 29 o quem Castalio revocarunt vertice Musae,
 30 quem nobis caelo Jupiter ipse dedit,
 31 o videas animum, mentem sensusque canentis
 32 exsultent quali pectora nostra deo !
 33 Sed neque Musarum posset, Theodore, mearum
 34 turba tuae laudis praemia digna loqui,
 35 nam rerum causas quas tu, pater optime, nosti
 36 esse reor Musae grande laboris opus.
 37 Nec possum versu quid agat Boreamque Notumque
 38 dicere, nec fracto quo tonet igne polus.

39 Quid mare sit tumidum rursusque recedat et altis
 40 det strepitum ripis, cognita causa tibi,
 41 Cur veniant toto volitantia nubila caelo
 42 caeruleasque sonans congerat imber aquas,
 43 quid pater hibernos revocet citus aequore soles,
 44 addat et immensas noctibus ille moras :
 45 omnia namque tuo nosti, Theodore, labore
 46 et Victurini pectore numen habes.

BASINIUS REPATRIANS PER ALIQUOT DIES RELIQUIT HAEC DISCIPULIS

CV_5 v.1 Eridani nymphe, tuque o Ferrara felix,
 2 tuque pater patriae, rex Leonelle, vale.
 3 Nunc feror ad patrios, ad te, mea Parma, penates.
 4 Tuque, poetarum turba verenda, vale.
 5 Me pater a pelago magni deducit Homeri ;
 6 o mihi prae cunctis terra beata vale.
 7 Vos quoque, discipuli, parvae mea turba catervae,
 8 dum moror in patria, quisque valete, precor ;
 9 et legite Aonias semper mea carmina musas
 10 carminaque Aonia sollicitate lyra ;
 11 ducite Apollineas sacro modulamine nymphas,
 12 ducite Apollinei numina magna chori.

BASINIUS, DE OBITU PHILIPPI DUCIS MEDIOLANI

CV_6 v.1 Hectora si Priamus, Peleus si flevit Achillem,
 2 si qua movent magnos fortia facta deos,
 3 dilacera crines, divum fortissime Mavors,
 4 Maximus Hesperidum namque Philippus obit.
 5 Occidit ille tua generatus stirpe Philippus,
 6 spes Italum pariter scilicet occubuit.
 7 Tlepolemi fato flevit Tirynthius heros,
 8 hujus ademptorem Jupiter ingemuit,
 9 namque Menoetiades rigidam projecerat hastam,
 10 quem Lycii comites ingemuere ducis.
 11 Sed neque magnanimum flevit Sarpedona solus
 12 Jupiter : est illum Troja secuta virum.
 13 Tu quoque si qua movent mortalia facta deorum
 14 numina, sanguineas, Mars fere, scinde comas,
 15 diceris attonitum quamvis posuisse furorem
 16 scilicet et clipeum deseruisse gravem.
 17 Miles, io tua spes periit. Quis crederet umquam
 18 morte sua Venetos indoluisse duces ?
 19 Et tamen Italiae partes quaecumque superno
 20 quaeque alio resident ingemuere freto.
 21 Maereat Alphonsus, captum quem reddit amicis
 22 dux Ligurum regnis : gesta canenda diu.
 23 Nam fera velivolam qua Genua prospicit aequor,
 24 duxit Aragoneos victor in arma viros.
 25 Omnis in Oceani pelago gens clara videri
 26 capta vehi et tutos linquere nolle locos.
 27 Et stupefactae ibant gelidis Nereides undis,
 28 flavaque Cymothoe glaucaque Cymodoce

29 Dotoque Protoque Pherusaque Dynameneque
 30 aptaque caeruleis candida Doris aquis.
 31 Ipse etjam liquidis timuit Neptunus in undis,
 32 ne foret anguigeri praeda superba ducis.
 33 Et regem infernum fixit puer Amphitryonis,
 34 mortua dum Pylia corpora captat humo,
 35 Junonemque ferox, quamvis foret illa noverca,
 36 pulsavit magni filius ille Jovis.
 37 Sic timuit, quamvis liquidis regnaret in undis,
 38 Neptunus tantum, corde tremente, virum.
 39 Victor ubi in patriam reges advexerat urbem,
 40 o pietas musis non adeunda meis !
 41 Reddidit incolumes fulvo donavit et auro,
 42 quod non fecisset forsitan ipse Ligus.
 43 Reddidit et patrios permisit adusque penates
 44 Alphonsum, regnis restituitque suis.
 45 Haec quota pars magni laudum fuit una Philippi
 46 famaue jam factis vilior ipsa suis.
 47 Solus in excelso sese assimilabat Olympo,
 48 natura aeterno par fuit ille Jovi.
 49 Spes Italum miseranda jacet, moriente Philippo,
 50 non aliter quam si Jupiter ipse cadat.

BASINIUS AD DIVUM LEONELLUM ESTENSEM

CV_7 v.1 Jam tua, magnanimum princeps Leonelle virorum,
 2 carmine si detur mille trophaea cano
 3 atque ea quo possim meditando efferre sub auras
 4 aptius ingenio molior ista meo.
 5 Non ego Castaliis venio demersus ab undis,
 6 sed Victurini pectore plenus eo.
 7 Forsitan et poscas quid non Mavortia cantem
 8 praelia, magnanimos cur taceamus equos.
 9 Nondum tanta fides animo, fiducia nondum
 10 tanta subit ; nondum mens mea bella capit.
 11 Ergo si nedum fuerim in illis, (.....)
 12 ingenio juvenis consequar apta meo.
 13 Si te delectant silvae saltusque ferarum,
 14 invenies toto carmine lustra meo.
 15 Nec tu divinum, quamvis sit rarus, honorem
 16 despice : perpetuo carmine fama viget.
 17 Sit licet invictus Martisque ferocior armis
 18 Hector ; Homerus abest : nullus et Hector erit.
 19 Vivit in aeternos Anchisae filius annos.
 20 En quantum magni musa Maronis habet !
 21 Carmine Penelopes castum narravit amorem
 22 Maeonides, cari quantus Ulixis amor,
 23 iratumque gravi cantu monstravit Achillem,
 24 terribilem Atridae terribilemque suis.
 25 Carminibus Phaeton caeli deductus ad axem,
 26 pocula Circaei carmine fontis habes.
 27 Omnia carminibus prisci cecinisse feruntur.
 28 Quid moror ulterius ? Prisca referre soles.
 29 Carmine fama tui nostro tolletur ad astra,
 30 si quis honos musis, vir memorande, meis.

31 Ecquid in hac agimus, princeps memorande, juventa ?
 32 Majus opus quam quod fama superstes eat ?
 33 Gloria delectat superos, sic credimus, omnes,
 34 extollit cunctos fama benigna viros.
 35 Et quicumque favet vivit, mihi crede, poetis ;
 36 Augustusque tuo nomen in ore volat.
 37 Tu quoque qui Latio similis virtute fuisti,
 38 talia qui Latio foedera pacis amas,
 39 debueras fessos etiam juvisse poetas.
 40 Aspice quo jaceat fessa Thalia loco.
 41 Et pietas tua magna fuit, tua maxima virtus
 42 magna per ora virum dulcis ubique volat.
 43 Praetereo studiis tua nunc Ferraria quantis
 44 gaudeat et quanto murmure plena sonet ;
 45 adde etiam imperio quae se tibi sponte dederunt
 46 oppida ; quos tribuit Tuscia magna viros.
 47 Non ego mille tui memoro castella vel urbes :
 48 spectat utrumque tibi subdita terra fretum.
 49 Quin age musarum jam nunc miserere tuarum ;
 50 solus es Aonia quem sequar ipse lyra.
 51 Felices Musae tamen et felicia Pindi
 52 numina, quae tanti principis acta canent.
 53 Et felix ego sum, si quid mea Musa valebit.
 54 Jam furor in toto pectore corda quatit.
 55 Sed nunc ingenii quoniam mihi viribus usus,
 56 prosequar aurifugae vela referre rati.
 57 Nunc ades et fluctus doceas me erumpere vastos,
 58 optima justorum spesque salusque virum.
 59 Jamque fave, ut cunctos vigeat tua fama per annos
 60 et mihi sit semper nomen in ore tuum.

BASINIUS PARMENSIS AD PISANUM PICTOREM INGENIOSUM ET OPTIMUM

CV_8 v.1 Qui facis ingenuas rerum, Pisane, figuras,
 2 qui facis aeternos vivere posse viros,
 3 optime pictorum, qui sunt, quicumque fuerunt,
 4 quique etiam magnae gloria laudis erunt,
 5 ingenio faciente tuo qui principis ora
 6 fingis, io vultus quam, Leonelle, tuos !
 7 Et ducis anguigeri felicia tempora pulchris
 8 auribus, aeternum tempus in omne caput ;
 9 me quoque, si fas est, inter divina memento
 10 munera tam facili fingere velle manu,
 11 ut puer aeterna caelatus imagine vivam ;
 12 perpetuusque tua laude superstes ero.
 13 Parcite, Pierides, quae sunt audita referre :
 14 est aliud veros cernere posse viros.
 15 Tu facis heroas divinae munera famae,
 16 tu facis aeternum nomen habere duces.
 17 Mantua dum maneat, dum sit Gonzagia proles,
 18 Karole, Pisani munere notus eris.
 19 Tu quoque perpetua vives, Sismunde, figura ;
 20 Martius atque tua stat Picininus ope.
 21 Necnon Sfortiadem saevis monstravit in armis
 22 ut premit armatos, Marte tonante, viros.

23 Praeterea et multi, quos non numerare necesse est :
 24 enumera paleas, Gargare flave, tuas.
 25 Adde etiam vates, nostro qui tempore ducunt
 26 saecula, quos vivos mira tabella facit.
 27 Guarini effigies, necnon Aurispa manebit,
 28 Hieronymusque tuo munere notus erit ;
 29 bellotusque puer, sed non puerilibus usus
 30 artibus, ingenio notus et ipse tuo.
 31 Tuscanellae etiam facies laetissima clari
 32 nominis egregiis fulget imaginibus.
 33 Teleboum cunctos belli Porcelius annos
 34 scriptor Threiciis cantat arundinibus.
 35 Victorine pater, Romanae gloria linguae,
 36 Pisani ingenio tu quoque vivus eris.
 37 Idem habitus, eadem ora viro : tumque ille severam
 38 caesariem et canam moverat arte comam ;
 39 et gravitas eadem vultus, caput illud ; et illum
 40 ore suo credas mittere posse sonum.
 41 Et me, discipulus fueram qui illius, imago
 42 terruit audaces admonuitque animos ;
 43 et stupui demens, et te quoque vivere, magne
 44 Victorine, putans, gaudia magna tuli ;
 45 et legi ingenuis caelatum epigramma tabellis,
 46 dignaque tam prisco carmina culta viro :
 47 "Istum non auri domuit scelerata cupido,
 48 non metus, aut animi cura nefanda dolus.
 49 Mille viros docuit sacras tractare camenas.
 50 En alius Socrates ! Solus et iste fuit".
 51 Cetera caelantur varia, Pisane, figura ;
 52 terra feras, caelum sidera clara tenet.
 53 Vidi ego delphines veras dare terga per undas,
 54 qualis Arionios dux erat ante sonos,
 55 vidi etiam silvas, cauro spirante, moveri
 56 et volucres caeli carpere posse vias.
 57 Vidi aquilam timidum leporem capere unguibus uncis
 58 et miseram pedibus corripuisse gruem.
 59 Atque canes stupui saltus lustrare ferarum,
 60 Oenidae qualis turba superba fuit,
 61 aut quibus Ogygiae fleverunt moenia Thebae,
 62 cum dominum celeres diripuere canes.
 63 Et stupui trepidos glomerare per avia cervos
 64 pulveris obscuros alta per astra globos.
 65 Informes videas ululare in montibus ursos,
 66 quem tigris misit, quemque leaena sonum ;
 67 cum suibus diris fulvos certare leones,
 68 ut credas veras ducere bella feras.
 69 Quin etiam teneras fingis, Pisane, puellas
 70 et niveam faciem purpureamque manum.
 71 Et simulas pulchros gemmis duo sidera ocellos ;
 72 et delinitos cogis amare procos.
 73 Quid si fecisses nivea mihi Cyrida forma,
 74 qualia dona tibi, vir venerande, darem ?
 75 Quin cuperem positus nostrum Meleagron habenis
 76 linquere venatus ipse poeta meos.
 77 Te canerem solum, solus tibi carmina soli
 78 inciperem placida posse ciere lyra.

SIGISMUNDI PANDULPHI MALATESTAE IN MELIADUCEM ESTENSEM EPIGRAMMA

CV_9 v.1 Ite, pii versus, et inania verba supremo
 2 ferte, precor, cineri, nomine missa meo.
 3 Siccine Arimineam rediisti optatus ad urbem,
 4 Melliadux, animo luctus acerbe meo ?
 5 Hinc tui reditus ? Sismundique addita dextrae
 6 dextera cumque pio foedere juncta fides ?
 7 At quoniam te fata vetant superesse caduco
 8 corpore, restabit munere fama meo.
 9 Corpora labuntur gelido mortalia leto,
 10 carmina per nullos sunt obitura dies.
 11 Haec tua, siquid habent animi post funera sensus,
 12 ossa petant tumulo deveneranda sacro.

EPITAPHIUM D. JUSTI DE VALMONTONE UTRIUSQUE IURIS DOCTORIS
PER BASINIUM POETAM MANTUANUM

CV_10 v.1 Juste poeta jaces, sed non tua fama jacebit ;
 2 sis licet extinctus, nomine vivus eris.
 3 Corpora labuntur gelido mortalia fato,
 4 carmina per nullos sunt obitura dies.
 5 Dum Gismundus erit, dum sit Malatesta propago
 6 dicentur laudes legis amore tuae.

BASINII PARMENSIS IN BALZANINUM CANEM EPIGRAMMA

CV_11 v.1 Balzaninus eram rapidarum summa ferarum
 2 pernicies, domini gloria magna mei.
 3 Petrus herus fuerat Gennarius optimus ille,
 4 quem Sigismundi Caesaris auget honor.
 5 Alitibus similis pernicibus omnia quondam,
 6 nunc miser aeterna lumina nocte tegor.
 7 Nec canis, aethereo statuit quem Liber Olympo,
 8 quo duce ad Icarium filia funus iit,
 9 nec quisquam Hyppoliti vicit me e gente superba,
 10 nec Cephali aut dominum qui rapuere suum.

BASINIUS PARMENSIS HUNC VERSUM SIBI EPITAPHIUM MORIENS INDIDIT

CV_12 v.1 Parma mihi patria est : sunt sidera carmen et arma.

VERSUS BASINII PARMENSIS IN SALUTATIONEM MARCHIONIS ESTENSIS LEONELLI
PER MUSAS IN AEDIBUS IOHANNIS ROMEI

CV_13 v.1 Salve summe ducum Caesar Leonelle : triumphos
 2 justitia et virtus dat tibi magna novos.
 3 Salve iterum, princeps Italarum gloria rerum,
 4 sis bonus o patriae, rex Leonelle, tuae.
 5 Italiae decus atque aevi spes maxima nostri,

6 dii tibi Nestoreos dent, Leonelle, dies.
 7 Pro meritis, Leonelle, tuis tibi magna canemus
 8 carmina, Apollineae digna favore lyrae.
 9 Te Pater omnipotens Italo praefecit honori,
 10 qui praestas priscos vi, Leonelle, viros.
 11 Te, Leonelle, canent musae clarique poetae,
 12 atque tuas laudes alter Homerus aget.

BASINII POETAE AD VEGGIUM VIRUM CL. EPIGRAMMA

CV_14 v.1 "Astyanacta" tuum vidi, doctissime Veggi,
 2 dulcius in toto quo nihil orbe fuit.
 3 Ille mihi gemitusque graves lacrimasque tepentis
 4 pectore, dum legimus, luminibusque quatit,
 5 pronus ut e turri miserabile corpus in auras
 6 miserit indignas respueritque manus ;
 7 mater ut infelix captam clamoribus urbem
 8 implerit flavas dilacerata comas.
 9 Quaeque prius fratres carumque animosa parentem
 10 flebat et extinctam sola relicta domum,
 11 quae prius Hectoreos tantum curabat amores,
 12 dum ferus Argolicas praecipitabat opes,
 13 cui "Mihi", dicebat , "conjunx carissime, certe
 14 tu genitor, tu vir, tu mihi frater eris",
 15 nunc fleat elapsi solum miserabile nati
 16 funus et in duro corpora fracta solo.
 17 Hectoridae pueri cecinisti funera, vates,
 18 nec minus Aesonidem Graiugenasque duces.
 19 Ast ego poene puer cecini, qui matris ob iram
 20 venit ad infernas igne perustus aquas.
 21 Nunc ego Priamidae pueri crudele sepulchrum
 22 et refero crudi barbara facta ducis.
 23 Oenidemque tibi, primis quem lusimus annis,
 24 mittimus, emenda quae pia dona, rogo.

BASINII PARMENSIS IN VALTURIUM EPIGRAMMA

CV_15 v.1 Bella gerenda ducem deceant quae quemque, priorum
 2 exemplo, at mira docuit Valturius arte,
 3 ingenium natura capax rationis acutae
 4 cui dedit. Ille situ squalentia nomina telis
 5 omnibus et fluxis signata vocabula rebus
 6 restituit legemque dedit, qua nasse liceret
 7 virtutesque animosque virum sumendaque pugnae
 8 consilia et dignos antiquis laudibus astus.
 9 Nec quisquam post cuncta palo vestigia versi
 10 solis ad hanc victor potuit concurrere metam.

BASINII PARMENSIS EPISTOLA AD DIVUM LEONELLUM ESTENSEM

C_16 v.1 Primus Apollineas pro te, Leonelle, camenas
 2 Aonas ad fontes Parnasia ductus ad antra,
 3 aggrediar cunctosque canam tua facta per annos.

4 Me superent quicumque ferant ea, laude minores,
 5 atque velim magno vix concedatur Homero.
 6 Te neque Musarum quisquam praestantius artes
 7 novit et in melius tam multis rettulit annis.
 8 Namque ego praetereo tabularum, signa tuarum,
 9 Aonidum decus ; ut plena stet imagine miris
 10 picta tabella modis, viva est qua candida Clio,
 11 Clio Pieridum laetissima, qualis ab imi
 12 Lucifer Oceani sacra jubar extulit unda.
 13 Nos vero multum, rarissima turba, poetae
 14 debemus, Leonelle, tibi, qui talia magnis
 15 numinibus nostroque velis dare munera Phoebos ;
 16 atque ego praecipue cujus, pater optime, versus
 17 et legis et caros dignaris honore libellos.
 18 Tu, Meleagre, novas inter cludere figuras,
 19 felix laude tui lectoris : maximus inter
 20 ille pater pictas referet tua carmina Musas.
 21 Quare ego me primum juvenili carmine damno
 22 viribus invigilare meis pro te, optime, pro te.
 23 Postremus primusque labor meus omnis ab uno
 24 omnia principio meditabitur. O, mihi quondam
 25 si qua animos subit ulla meos, vir maxime, virtus,
 26 quae tibi quaeve tuae referam pater inclyte, famae ?
 27 In te sola salus Italae virtutis et ingens
 28 pignus, et augustae dona immortalia pacis,
 29 qua populos pietate regis tranquillus et ampli
 30 regna paterna soli, qua labitur Eridanaeum
 31 flumen et aequoreis in murmurat altius undis
 32 Adria, finitimo qua cernitur Appennino.
 33 Omnia sunt vulgo subita concussa ruina ;
 34 undique bella sonant : praeter tua regna, labascunt
 35 omnia ; bella Ligus timet ; hinc Venetusque fatigat
 36 pronus et adversis impingens agmina terris ;
 37 hinc tuus ille socer patriis excitus ab oris
 38 vectus adest murosque viris obsedit Etruscos,
 39 rex armis populisque potens, cui maxima septem
 40 regna ferunt animos Fesulanaeque moenia temptant.
 41 Impia Tisiphone vocat atra ad bella sorores,
 42 sanguineam ante ferens, visu miserabile, caedem
 43 insultatque malis et sese non tenet ulla
 44 in facinus scelerum facies, furor omnia secum
 45 praecipitat ; gaudent scelerata lacessere proelia
 46 agricolae atque auro divina resolvere jura.
 47 Quid non, dira sitis et habendi insana cupido,
 48 sollicitas ! Saltem venturae turpia famae
 49 nomina jam seros moveant quaecumque nepotes.
 50 Dii, precor, Italiae custodes, maxima semper
 51 numina, Romuleae qui jam favistis et urbi
 52 et populo, et fau-trix trabeati Vesta Quirini,
 53 hanc rabiem jam nunc terris avertite vestris
 54 et pacem Ausoniis, solam quam poscimus, oris
 55 reddite nec tantos mortalibus esse furores
 56 mittite ; sed placidam, Latii decus, annue mentem
 57 spes Italum, Leonelle, virum ; juvat ire per omnes
 58 Castaliae montes totumque Heliconam videre.
 59 Pro te olim melius, neque enim tua maxima facta

60 nunc parva memorare lyra velit illa tui mens
61 vatis et ingenio major tamen ipsa voluntas.
62 Non ego nec veteres majori laude Latinos
63 nec Graios viguisse viros nec Caesaris umquam
64 crediderim majora tuis illa inclyta factis :
65 dulce decus nostrum, Phoebi venerate sacerdos,
66 spes animis o firma meis, qui solus abunde
67 Bellerophonteos potuisti haurire liquores,
68 principibus quae rara solet contingere virtus.
69 O felix ter io, quater, o semperque beatum
70 humanum genus, Aonidum si praemia norit,
71 dissimulans simulansque nihil si vita virorum
72 abstineat placitis, parvo contenta, nec ullis
73 illita criminibus, quam nec movet ulla profundi
74 spuma superba Tagi Pactolusve elicit auro.
75 Tu vero quem musa juvat, tu maxime regum,
76 sis felixque piusque tuis ; et tempora nostra
77 respice, quae veniunt lustris melioribus. Otii
78 ignavi quae longa quies fuit, omnis in auras
79 aethereas diversa fugit ; placidaeque Sorores
80 ad tua, summe ducum, referuntur tempora, Caesar.
81 Caesar enim mihi solus eris : te Graia juvenus,
82 te Latii canet omnis amor ; tua magna futura est
83 gloria, postremos maneat duae certa nepotes.
84 Ut colitur nostro Trojanus Julius orbe,
85 teque tuosque novo divum dignamur honore.
86 Te tamen o serum, decus immortale, precamur
87 hauriat illa dies, venias ubi sidus ; et alti
88 regia magna poli tarde te te advocet. Aut quom
89 sit libitum magno, qui fert ea fata, Tonanti,
90 in melius quom forte volet benefacta referri,
91 sis patriae memor Italiae pacisque memento
92 quam terris coluisse caves ; quin omnibus annis
93 Italiam votis damnabis, te tua virtus
94 sidus et immensi faciat quom numen Olympi.
95 Polliceor, si quid possum promittere, magni
96 carminis antiquum quicquam modo, maxime princeps ;
97 ante exspectatum referam tibi laudis honores.
98 Haec tibi jussa cano ; cape jussa fidelia. Namque
99 tempore quo medio rapiuntur sidera caelo,
100 incubuit mediae lux ingentissima nocti
101 audaci fulgore, cavas et dispulit umbras.
102 Obstupui, fateor, magno torpore sepultus
103 qui fueram et placidum carpebam corde soporem.
104 Obstupuit domus et clari arrisere Penates ;
105 tum citharae quater audiri sonus et nova secum
106 carmina ; et ambrosios inter fragor almus odores
107 sensibus hauriri nostris, vacuisque natate
108 aedibus umbra levis talesque referre loquellas :
109 "Heus", ait, "an vigilas, Leonelli fide minister ?
110 O vigila, neque enim somno indulgere poetas
111 tam longo fas est ; divinae parce quieti
112 et Leonelleas accingere dicere laudes.
113 Surge age et ipse tui Leonelli nomen ad astra
114 tolle. Libens adero, nec te tua Musa relinquam ;
115 namque ego quam pingi jussit sum candida Clio,

116 Clio Pieridum laetissima : cerne venustas,
 117 dulcis amice, genas, vultus oculosque nitentes ;
 118 hanc faciem in tabulis ipsam vidisse memento.
 119 An quisquam nostra vir tempestate Latinos
 120 vi tanta praestabit avos tantoque favore
 121 ingenio aspirare tuo volet ? O, nova praesens
 122 ille tuos olim si carmina spectet amores".
 123 Vix ea Musa ; dehinc tenuis elapsa per auras
 124 in noctem fugit, nec me ulteriora volentem
 125 dicere verba sinit pavor horridus ; atraque terrae
 126 umbra volans nigris circum se denset in alis.
 127 Et me quem primum voces cantusque juvabat,
 128 nunc timor acer agit, Clius ne jussus ab ore
 129 deficiam, rex magne, tuas si scribere laudes
 130 incipiam ; sed da veniam nunc, si quid adortus
 131 moliri aethereas jactem juvenile sub auras.

BASINIUS PARMENSIS CLARISSIMO ET PRAESTANTISSIMO PHILOSOPHO
 THEODORO THESSALONICENSI SAL. PL. DICIT

CV_17 v.1 Summe virum rhetor suavis Theodore Pelasgum,
 2 quo dicente silent animosi flamina Chauri,
 3 quem Latium ac lati miratur regia mundi
 4 orantem et celsae stupefacta palatia Romae,
 5 qui mihi prae cunctis divum immortalia dona,
 6 Pieridum quondam caelestia dona dedisti,
 7 sub quo tot Graios vates doctore revolvi,
 8 Iliada atque vias multum durantis Ulyxi
 9 atque alios duorum longum meminisse poetas,
 10 rhetoras et magni praecepta verenda Platonis,
 11 nunc quoque quod petimus justis, precor, annue votis :
 12 scilicet Andreas Contrarius ut tibi cordi
 13 iste sit ; iste tuo nam dignus amore, dearum
 14 Castalidum dulci demersus fonte, reponet
 15 digna tuo quondam tibi non ingrata labore.
 16 Namque hic historicus, vehemens orator et artis
 17 Socraticas discens, terrae caelique peritus,
 18 et rerum causas et mundi semina novit,
 19 Lunaremque globum nec non Titania victor
 20 sidera rimatur, telluris et aequoris oras
 21 angustas minimumque solum ; quid bruma, quid aestas,
 22 quid ver purpureum ventorum mutet habenas,
 23 autumnusque alio varietur flamine, quonam
 24 sidere se Boreas Geticis se mittat ab antris,
 25 Austrique Zephyrique tenent qua parte, fragore
 26 quo cadat Eurus agens tumidarum marmor aquarum,
 27 unde cadunt tortis vibrata tonitrua flammis ;
 28 quae de quinque plagis non sit penetrabilis una,
 29 Solis inardentis vicino limite ; binae
 30 temperie ut zonae, extremis mediaque repostis,
 31 perpetua pecudum genus omne virumque volantumque
 32 usque polum subter magnum pascantque ferantque ;
 33 haeque ubi de medio magnum traxere calorem,
 34 frigus ab extremis turpi squalore, profunda
 35 temperies geminis infertur ab aethere terris.

36 Atque haec culta quidem latera. Et telluris utroque
 37 margine clausa virum spatiis gens exsulat aequis.
 38 Nam media, ut perhibent, plaga vasta sine urbibus ullis
 39 non volucrum nidos, magnarum aut lustra ferarum
 40 sustinet, aut hominum genus improba pascit : at illas
 41 nix aeterna tegit foedusque amplectitur horror.
 42 Hinc Boreas, illinc gelidis Notus effluit alis,
 43 hic tepet Auster, at hic Aquilo non frigidus afflat,
 44 flamina dura ferens ; aliisque torrida, dum se
 45 trans spatia evolvunt gelidis contraria pennis
 46 nubila, dant populis adversa tenentibus arva.
 47 Haec canit : unde ruunt amnes fontesque lacusque,
 48 aequora cur tumeant caecis agitata procellis,
 49 quid laudis virtus, quid criminis inscius error
 50 afferat humanis affectibus : omnia longo
 51 tempore quae didicit solido Contrarius aevo.
 52 Hunc precor, o Graium decus, accipe mente pioque
 53 pectore perfixum totis immitte medullis.
 54 Non erit ingratus meritorum (crede) tuorum ;
 55 praemia digna manent. Italas tua fama per urbes
 56 Ausonidumque domos cunctis vulgabitur oris.
 57 Pontificis placidas summi dicturus ad auris
 58 advenit : ille tuo se sperat amore repertum
 59 ire aditus facilis et tempora grata loquendi.

BASINII PARMENSIS EPISTOLA AD DIVUM SIGISMUNDUM PANDULPHUM MALATESTAM,
 DOMINUM ARIMINI ILLUSTREM, LAUDES ET PRAECONIA EIUS CONTINENS ET SUORUM

CV_18 v.1 Ausoniae decus atque Italum fortissime gentis,
 2 ipse tibi ante alios vates non ultimus olim,
 3 Sigismunde, canam laudes et magna parentis
 4 bella genusque tuum regesque et maxima semper
 5 nomina sceptriferosque atavos gentemque superbam.
 6 Post ego magna tuae referam praeconia famae
 7 virtutemque animosque tuos, tua plurima quondam
 8 proelia consiliisque tuis quae multa secundo
 9 numine bella geris. Juvat, o juvat illa referre
 10 quae nuper dederis Tyrrenis victor in oris :
 11 pro qua laude tamen tibi dulcis Etruria debet
 12 omnia, te solum miratur ; et Itala gens te
 13 laudat et aeternos tibi jam dignatur honores
 14 reddere teque canunt Musae magnique poetae ;
 15 quorum ego sim minimus quamvis et tanta recusem
 16 dicere facta, tamen sequar omni te, optime, cura.
 17 Non me adeo fugit virtus tua, maxime ductor,
 18 non ego nec referam tua facta ingentia, nec quas
 19 straveris ante alios adverso ex agmine turmas.
 20 Unum illud paucis, quid enim ? Narrare necesse est.
 21 Magnanimi tot tela viri, tot bella, tot arma
 22 expediam, qui barbaricas ab litore gentes
 23 Hesperio et nostros mediis e finibus hostes
 24 Parthenopem et notas, dux magne, revisere terras
 25 fecisti atque Italos servasti milite portus.
 26 Namque, ferunt, postquam gentes et bella vicissim
 27 astabant dubiam spectantes ordine sortem,

28 hinc rex ipse prior patriis Alphonsus ab oris,
 29 hinc tu praefulgens auro atque insignibus armis,
 30 hinc atque hinc aeratae acies populique ruebant
 31 ingenti strepitu et socio clamore fremebant.
 32 Hos Mars armipotens, illos cogebat Enyo :
 33 at tibi Pallas erat comes invidiosa decusque
 34 immortale dabat, vires animumque secundans,
 35 cara Jovis proles medio Tritonia campo,
 36 ostentans angues et Gorgonis ora Medusae
 37 sibila terribilemque aeratis aegida monstris,
 38 nubiferi Jovis arma patris clypeumque micantem.
 39 Hanc procul ut vidit tumulo rex unus ab alto,
 40 obstupuit gelidusque pavor tremefacta cucurrit
 41 ossa per et venas et pulsos pectore sensus.
 42 "Hei mihi, quum umquam populos ingressus Etruscos
 43 antiquas gentes Fesulanaeque moenia tempto ?
 44 At non invisum genus his regesque tyrannosque
 45 audieram, infandis postquam Mezentius armis,
 46 injustas caedes molitus civibus olim,
 47 regali meritas explevit funere poenas ?
 48 Quin etiam infelix dubio me credere ponto
 49 et ventis animam potui committere, quando
 50 sola fuga et curvae possunt praestare carinae
 51 auxilium ? Misero quaenam mihi terra dehiscat
 52 digna satis ? Vos caelicolae tuque optime divum,
 53 Jupiter, undosas, quaeso, me ad vertite Syrtes ;
 54 aut me Scylla rapax aut me indignata Charybdis
 55 terque quaterque vadis per hiantia dorsa rotarum
 56 sorbeat aequoreaue vorans procul hauriat unda,
 57 quo neque me populi victricis arma sequantur.
 58 Terribilemve oculis dudum vigilantibus hausi
 59 Pallada et ante ducis Pandulphi tela ministrat
 60 ora, viroque favent dii magni." Talibus orsus
 61 corripuit sese totasque reflexit habenas.
 62 Adversum ascendens montem tu laetus ibi omnes
 63 diceris his stimulans animasse in proelia gentes :
 64 "Haec est illa dies, socii fortissima corda,
 65 quam superi pepigere ; ruant in bella phalanges,
 66 ast illum jam nunc, pedites, conscendite montem.
 67 Vobis parta venit cum magnis gloria rebus :
 68 numina cuncta favent, Italos vos esse necesse est :
 69 nunc stirpem antiquam et priscos jactare Quirites
 70 audete et vobis tantum defendite nomen
 71 barbaricasque acies stricto prosternite ferro.
 72 Non hic Hannibalem, saevae aut Karthaginis arma
 73 cernimus, aut duros Numidas saevumque Jugurtam ;
 74 ultima faex hominum gens haec et barbara turba est,
 75 nobis sunt animi et bello est experta juvenus
 76 et patriae venerandus amor ; Latioque salutem
 77 antiquo parimus serisque nepotibus altum
 78 imperium aeternumque decus". Sic fatus in altos
 79 te recipis colles, gens Itala cuncta secuta
 80 advolat, erumpunt caelum clamore phalanges.
 81 Ac velut ille prior Poenorum in monte leonum
 82 maximus infremuit, si forte adversa tuetur
 83 armenta et pavidos adverso ex aggere tauros,

84 mille animos subit impatiens gaudetque tuendo
85 conscius, aut meminit capream stravisse fugacem
86 aut sperat silvis velocem avertere cervum,
87 excutiens cervice jubas, pecora omnia miscet,
88 haud aliter praevectus equo te in bella tulisti
89 intrepidus. Stupuit stimulis percussus amaris
90 extremis magnus rex huc advectus ab oris.
91 At procul horrifico strepitu cava concha tremendum
92 rauca dedit sonitum crepuitque per aethera clangor.
93 Jamque adeo condensae acies utrimque ruebant
94 instructae ferro atque jubis capita alta decorae.
95 Tam vero strepitusque pedum fremitusque sequentum
96 misceri totisque fragor crebrescere terris.
97 Tum quassans hastam ac tali tum voce precatus
98 hortabare tuos superosque in vota vocare
99 incipis aetherei suspectans limina Olympi :
100 "Dii, precor, Italiae custodes, maxima semper
101 numina, Romuleae qui jam favistis et urbi
102 et populo, et fauatrix trabeati Vesta Quirini,
103 hanc rabiem jam nunc terris avertite vestris :
104 Sigismundus ego magnis altaria donis
105 vestra colam et longas agitabo ex ordine pompas".
106 Atque ea fatus, equum medios animosus in hostes
107 cogis et ingenti sonat excita terra tumultu.
108 Pulverulentus ager glomerata per agmina nubem
109 aetheream quatit ; aere micant auroque catervae.
110 Nec prius incoeptum liquisti in litore Martem,
111 quam regem et socios liquido dare vela profundo
112 fecisti, atque Italos servasti milite portus.
113 Atque ea quis animis aut qua virtute dedisti,
114 in medio atque alias nobis memoranda reservo,
115 quom veniam Vates post secula longa secundus.
116 Ipse etiam in patriam Musas et nomina Nysae
117 dulcia, Parnassique jugis et vertice sacro
118 primus Apollineos referam tibi, Parma, corymbos.
119 Ast hic de Pario ponam tibi marmore templum
120 auratasque fores, auro argentoque columnas
121 insignes, olim quo te, Malatesta, volentes
122 donabunt populi. Laurus hic undique circum
123 postibus, et solida medii testudine templi
124 aspicias medios superato ex hoste triumphos ;
125 illic Sfortiaden saevis quem fuderis armis,
126 cognatas acies incoepoque bella novabo ;
127 illic spes Italas, illic tua fortia facta,
128 Sigismunde, canam, digno quo carmine rursus
129 cuncta tibi Italiae cantet Paeana juvenus.
130 Nec tantum nomen post se Tirynthius heros
131 liquerit, extremas quamvis migraverit oras,
132 tergeminumque ducem Stygio damnaverit Orco.
133 Salve, summe ducum, nostri prudentia saecli,
134 antiquum genus et Romanae stirpis imago,
135 dulce decus nostrum, magnos imitate Camillos,
136 qui regnum Hesperiae concussaue moenia servas :
137 semper Vate tuo, semper cantabere Musis.
138 Perge age, magnanimum decus immortale virorum,
139 sic magnae virtutis honos, sic quaeritur illa

140 gloria, postremos maneat quae certa nepotes.
 141 Quom demum et Latium et totum pacaveris orbem,
 142 omnis amor pietasque tui te tollet ad astra.
 143 Ast ubi sidereos caeli conscenderis axes,
 144 aurea nascetur toto gens altera mundo,
 145 nec quisquam divum tantis altaria votis
 146 aspiciet cumulata, sui nec limina templi
 147 tam vario strepitu celebrata virumque tumultu.
 148 Te colet omnis Arabs, Morini tua facta reposti,
 149 tunc Itali tua bella canent Graiumque poetae.
 150 Te tamen o rerum numenque deumque, precantur
 151 hauriat illa dies, venias ubi sidus Olympi,
 152 divus ut excelso conspectes omnia caelo.

BASINII PARMENSIS EGLOGA IN LAUDEM NICOLAI QUINTI
 SUMMI PONTIFICIS

NEOMANTIS

CV_19 v.1 Candida purpureo venit obvia mater ab ortu,
 2 Memnonis aurato diffundens lumina curru,
 3 frigida dum vitreis lucescit terra pruinis,
 4 purus et oceani sacra jubar extulit unda
 5 Lucifer et picto fugiunt vaga sidera caelo.
 6 Nascere, Phoebe pater, tu luminis auctor et alnum
 7 numen et auxilium miseris mortalibus ingens,
 8 nascere, Phoebe pater, nobisque precantibus adsis
 9 Nicoleoque patris felicia saecula Quinti
 10 Pontificis multos, genitor, devolve per annos.
 11 Ille quidem pastor, quo non custode peribunt
 12 mortales animi. Talem se secula jactant
 13 produxisse virum, qualis nec maximus Atlas,
 14 qui caelo caput atque pedes tellure recondit,
 15 Alcidesve fuit, quamvis pacaverit orbem
 16 Tergeminumque ducem Stygio damnaverit Orco.
 17 Musae Olympiades carae Jovis ite puellae
 18 et lauro meritum jam nunc donate virenti.
 19 Non lupus incautos nebula circumvenit agnos
 20 amplius et nulli meditantur dura leones
 21 proelia, nec torvis incurrunt frontibus ipsi,
 22 qui proni fuerant in vulnera prima juveni.
 23 Omnia pacis habent quantum juvat : illius omnis
 24 auspiciis gaudet tellus, juvat arva novantis
 25 agricolas crebro graviter domitare ligone.
 26 Pascite quisque boves : venit, en venit illa virum gens
 27 prisca, redit pietas et candida secula, primi
 28 temporis effigies, nec me decoepit Apollo.
 29 Post ubi sidereos caeli conscenderit axes,
 30 Aurea nascetur toto gens altera mundo.

PHILOENUS

31 Pastorem tantum da, quem, Neomanti, canebas.

NEOMANTIS

32 O nulli penitus magnorum audite deorum,
 33 ignoras illum, quem dii fecere perenne
 34 aeternumque decus populis venientibus, illum
 35 aequalem superis, decus immortale futuris

36 gentibus ? Infelix quae te socordia vertit ?

PHILOENUS

37 Non equidem audieram, nam dum me candida Nise
 38 se jactans blandis circumvenit improba verbis,
 39 omnia perdideram mecum bona, nulla juvabant
 40 carmina, nullus erat qui me non fleret amantem.
 41 Usque adeo infelix miser <eheu>, illa per altos (vers lacuneux dans le
 42 errabat montis ; montes me saepe videbant (texte numérisé)
 43 hibernam solum frustra componere noctem.

NEOMANTIS

44 Dicite bucolicos, musae, mihi dicite versus.
 45 Nunc opus est tenui faciles cantetis avena,
 46 Pierides ; nec vos tantum coluisse feretur
 47 per gentes aliquis, quantum pius ille fovebit.
 48 Carmina vestra leget, felicia carmina quae vos
 49 ducitis, ille leget ; novit namque illa nec ullus
 50 montibus his septem magno tam doctus ovili.
 51 Dicite bucolicos, musae, mihi dicite versus.
 52 In te sola salus Italae virtutis et ingens
 53 pignus et augustae dona immortalia pacis.
 54 Salve, summe pater, nostri prudentia saeculi.
 55 Te mea musa canet, te nostrae saepe camenae.
 56 Nascere, Phoebe pater. Croceis aurora quadrigis
 57 vecta novo tremulos jam spargit lumine fluctus,
 58 dum moror et rauca cygnos superare cicuta
 59 nitimur. O praesens si quis mihi summus Apollo
 60 Nysaeusve pater, non me nec maximus aevo
 61 Nelides Pylius, quem tertia viderat aetas,
 62 cujus ab ore viri divine nectare verba
 63 dulcia melle magis, nivis instar ab ordine lapsae,
 64 quam nullo ad terras demittunt nubila vento,
 65 non me nec vincet, novit qui cuncta poeta
 66 Maeonides versu, non me scelerosus Ulysses.
 67 Postremus primusque labor meus omnis ab uno
 68 omnia principio meditabitur. O mihi quondam
 69 si qua meos subit ulla animos, vir maxime, virtus,
 70 quae tibi quaeve tuae referam, pater inclyte, famae !
 71 Dicite bucolicos, musae, mihi dicite versus.
 72 Nulla dies illum, si quid mea musa valebit,
 73 pastorem taceat ; quamquam majora beatum
 74 munera jam faciunt, tamen haec ego carmina summis
 75 montibus his rauca semper meditabor avena.
 76 Sol, qui cuncta vides atque omnia maximus audis,
 77 nascere purpureisque libens sparge omnia flammis
 78 Nicoleoque adsis per saecula longa beato.
 79 Ille colit musas, illi sunt carmina curae ;
 80 nec quisquam Latio in magno nec doctior usquam
 81 alter. Amet nostras o si pater ille camenas,
 82 tunc ego Maeonio genitus magnusque poeta
 83 dicar et antiquos inter me extendere vates
 84 haud dubitem, neque enim frustra mihi talia Apollo
 85 dat responsa pater. Magnum sol occupat orbem
 86 jam novus atque novo perfundit lumine montis.

PHILOENUS

87 Quo, Neomanti, pecus cogis ? Quove ire canendo
 88 haec armenta jubes ? Te, te sequar. Ocius istas

89 coge tuas pecudes et ovilibus abde latentis.
 90 Jam lupus observat tua pascua, forsitan ille
 91 qui rapuit teneros totiens a matribus agnos.
 92 Sunt qui nec laudes, nec carmina talia curent ;
 93 ille quidem curat. Sed quis tamen approbet illa
 94 inscius aut quem non Siculae monuere camenae ?
 95 Quis coram laudet, quae tu cantaveris absens ?

NEOMANTIS

96 Vegius, Argeo qui proximus unus Homero.
 97 Ille Linum et fratrem cithara superare canora
 98 atque alios vates, quos aurea protulit aetas,
 99 audet et egregias heroum dicere laudes,
 100 iudicio cujus rauca haec ego carmina mitto,
 101 corticibus falcis morsu signata salignis ;
 102 cujus amor tantum vacuas se attollit in auras
 103 quippe mihi, quantum consurgit ad aethera pinus
 104 tonsa comam et virides complexa cacumine ramos.

AD BEATISSIMUM PATREM DOMINUM NOSTRUM DOMINUM
 NICOLAUM SUMMUM PONTIFICEM QUINTUM BASINII PARMENSIS EPISTOLA

CV_20 v.1 Quinte pater, vero populum quem vincere virtus
 2 nomine sacra dedit, decus o quicumque fuere
 3 maxime pontificum nec non quicumque futuri,
 4 saepe rogant homines mirati multa, tuo quid
 5 tempore turba recens vatium numerosa per urbis,
 6 rura per et villas, pagis monstretur et ipsis.
 7 Respondere quibus soleo te principe reddi
 8 praemia coepta, vigent musae quis ; artibus inde
 9 redditus omnis honos, quod non multique priores,
 10 nec pater Eugenius, quamvis mitisque piusque,
 11 fecerat. At tu idem quondam quem fata, tenore
 12 a primo rerum, mundi statuere labantis
 13 rectorem, quem sancta fides, quem vita beatum,
 14 ablatum sero terris, immittat Olympo,
 15 cujus et auspiciis Latii pacata potentis
 16 omnia, cujus honos hominesque deosque valeret
 17 ire super, vatium mentis non passus inertis.
 18 Praemia quanta pater dedit in Romana Quirinus
 19 carmina, quanta bono se Mecenate secutum
 20 Virgilius superas rediens fateatur ad auras ;
 21 tanta bonis ausus tu reddere dona poetis.
 22 Doctus enim dulcis musas, quid carmen et artes
 23 ingenuae praestent animis aevique futuri
 24 laudibus et famae ventura in secula nosti.
 25 Quare, si qua venit nostris facundia lustris,
 26 munere quippe tuo est spes addita vatibus omnis ;
 27 et tibi cum placeant Graiae nostraeque camenae,
 28 haud indigna putem, si me quoque partibus istis
 29 addiderim pandamque libens quae mente locarim.
 30 Per te tota suis defluxit Graecia nostrum
 31 fontibus in Tiberim, per te, qui verteret ipsos
 32 historicos Graiosque alios, Theodorus in urbe est :
 33 maximus orator, sapiens et amator honesti ;
 34 et quem recta putes magni transferre Platonis

35 omnia, sive velis numeros pedibusve solutos
 36 ducat ut in Latium libros, ipsumque, placebit
 37 si tibi, Aristotelem, quem barbarus unus et asper
 38 verterat infelix linguae ratione tenendae
 39 ignota : haec eadem jubeas si reddere nostris
 40 Graeca legenda viris, poterit Theodorus ad unguem
 41 usque polita sequi ; neque enim praestantior alter
 42 ingenio, neque enim est alius qui Socratis aequae
 43 divinas illo studiorum noverit artes.
 44 Forsitan id rogites, quid non ego vertere magnum
 45 Maeonium aggrediar ; quamquam mirabile forsitan
 46 hoc audere tibi videatur, amore mei me
 47 fallere si videar ; neque enim se noscere quisquam
 48 metirive suas vires queat : omnia magna
 49 de se quisque putat, ceu pessimus ille Pelasgum,
 50 infimus ille virum Thersita, tacentibus ipsis
 51 regibus, exclamat magnumque infestat Atridem.
 52 Sed si Virgilii ingenium mihi grande daretur,
 53 doctus item ut fuerat ; qualis cecinisse videmus
 54 illum, ego si facerem versus, convertere numquam
 55 experiar magni memorabile carmen Homeri.
 56 Pleraque si veritas, videantur rustica vel non
 57 digna satis. Quis enim Martem Jove murmure natum
 58 ut puerum inducat plorantem ? Sed tamen illic
 59 et sermone illo videatur idoneus. Ergo
 60 Virgilius partes aliena in parte reponit,
 61 argumenta locis mutans, non fidus, ut aiunt,
 62 interpres ; multas rapuit multasque reliquit
 63 consulto partis, quas ut sua cuncta, redegit
 64 carmina in unius bene junctos corporis artus.
 65 Felix et sapiens vates, qui mente poetae
 66 divini fretus, verbis ea ferre Latinis
 67 maluit, in longos quaecumque probaverat usus
 68 aetas multa prior, totos quae triverat annos
 69 lector ; hic, Herculeae clavam qui demere dextrae
 70 ausum se memorans, longo se prorogat aevo.
 71 Hunc ego, siquid adhuc cupiam transferre, sequendo
 72 scribam aliquid. Sed enim neque vis neque tanta cupido
 73 est mihi, quandoquidem, Venusini vatis honesto
 74 more, sequor tenues tenui sermone camenas.
 75 Nec non et satyras et rustica carmina pono ;
 76 magna sed interdum quaeque et Lucanus et ipse
 77 Statius ignoret, quorum patria utraque multum
 78 barbara carminibus nocuit fortasse Latinis.
 79 Durus uterque nimis, sed durior omnia circum
 80 Lucanus, quamquam terras et flumina et urbis
 81 virtute eximia memoret : tum cetera nusquam
 82 doctus et omne trahens praeduro cortice robur.
 83 Sed rude quicquid agit ; neque enim decet esse poetam
 84 assiduum in verbis, qualem docuisse videmus,
 85 cum pater egregiam monstravit Horatius artem,
 86 quem sequimur ; pater est qui carminis, auctor et artis.
 87 "Sint delicta licet, quibus ignovisse" volebat,
 88 "nec semper feriat quodcumque minabitur arcus" ;
 89 verum haec interdum. Sed semper ineptus eodem
 90 cuncta modo exsequitur veluti mare, murmure crebro

91 cum fremit assiduisque sonans impellitur undis.
 92 En bonus ecce Maro versa tractanda pedestri,
 93 inferiore canit ; magno quae digna cothurno,
 94 tollit in aethereas vates animosior auras :
 95 nimirum auctorem divinae mentis Homerum
 96 sortitus cunctis imitator maximus actis.
 97 Ille Helenam (ut loquitur demissis femina verbis)
 98 inducit victo referentem verba marito :
 99 "Venisti a bello, o utinam pudor ipse perisses !
 100 Forti victe viro, prior et meus ille maritus
 101 qui fuerat, vicit : quin jam Menelaon ad arma
 102 primus iniqua vocas ? Illo sis fortior, ultro
 103 viribus atque manu memoras hastaque, superbus ?"
 104 Nonne vides quali mulier sermone moretur ?
 105 Rebus in egregiis ignava, minoribus apta,
 106 pensa colum calathos melius notaeque Minervae
 107 munera docta loqui. Sed enim cum maximus aevo
 108 hortator Pyliae gentis monitorque suorum,
 109 Nestor (ut ore viri divino nectare verba
 110 dulcia melle magis fluxere) minacis Achilli
 111 Atridaeque cupit lites componere, qualem
 112 auctorem sese exhibeat, cognosce : "Videbo
 113 quando aliquos talis, qualem vidisse recordor
 114 Caeneaque Exadiumque aequumque deo Polyphemum,
 115 Thesea Pirithoumque Dryantaque, maxima quondam
 116 corpora, qui fortes fuerant, durumque solebant
 117 montivagis certare feris saevosque premebant
 118 nubigenas, quos terribili sub sorte sacrarant
 119 fata suis telis ? Comes his ego bella gerebam
 120 atque mea pugnare libens pro laude volebam.
 121 A patria quin sede Pylo procul urbe profectus,
 122 longinqua a tellure volens ; sociumque vocabant
 123 magnanimi proceres ultro et parere volebant.
 124 Vos quoque, si fas est, mihi jam parete". Quid inter
 125 hujus et illius sermonem distat, oportet
 126 noscere scribentis, ut oportuit ante moratum
 127 Lucanum, cursu fertur qui semper eodem.
 128 Staius at paulo concinnior. Ipse Catullus
 129 nonne vides quali referat Minoida versu
 130 "Frigidulos udo singultus ore cientem" ?
 131 Doctus et ingenuus vates longumque legendus.
 132 Hactenus antiquis de vatibus. Eripe, sodes,
 133 vela mari tanto, ne te sensisse maligne
 134 forte putent aliqui puerorum in parte magistri
 135 offensa, unde hamis numos piscantur aduncis.
 136 Ast ego qui raucos fateor me condere versus,
 137 discrimen varium facio, velut ipse videbis.
 138 Namque secunda tibi monstrabit epistola majus
 139 carmen. At e medio tollet se tertia passu.
 140 Omnia namque bonus iudex dignabere, versus
 141 si te magna sinant spectare negotia nostros.
 142 Fabula ut Iliados sed enim Meleagros honori
 143 si mihi non magno est, veniam da, summe, precamur,
 144 Pontificum, veniam da, maxime ; namque fatebor
 145 vera equidem, neque te diversa ambage tenebo.
 146 Non potui Aonios juvenis conscendere montis,

147 carminibus Graecis quamvis imbutus : at alti
148 natus in umbrosis radicibus Apennini
149 atque rudes primum male quem docuere magistri
150 sedibus in patriis. Sed postquam sanctus amico
151 accoepit tecto me Victorinus, ibi omnis
152 rusticitas rapidos nobis effluxit in euros.
153 Ipse aderat juvenum custos sanctissimus ; omnis
154 ut pater eductos sapere et bene vivere magno
155 priscorum exemplo noctesque diesque docebat,
156 Socratis ingenium mores animumque secutus.
157 Verum Alcibiadem nullum tractavit, ut aiunt,
158 castus et, ut liceat nos credere, nullius unquam
159 luxuriae incensus stimulante libidine ; cujus
160 mirus amor fuerat superum placare Tonantem,
161 si tardus quartam dormisset, ut amplius, horam.
162 Hic praecoepiter erat nobis, pater almae ; sed illum
163 jamque senem nobis invidit parca Jovique
164 reddidit et terras damnavit munere tanto.
165 Hinc ego digressus Theodoro doctus Achaeo,
166 nunc fera in Aeschinem novi Demosthenis arma,
167 nunc nova divini didici secreta Platonis ;
168 dulcis Aristophanes mordaci ut dente notandos
169 stringeret, ut Sophocles tragico insaniret hiatu,
170 Persidos et regis Xenophontis acumine Cyri
171 proelia. Dum dederat magni mihi carmen Homeri
172 Otia, purpureo referebam digna cothurno ;
173 namque ego tum cecini primis Meleagron ab annis.
174 Nec magis Actorides Phthio dilectus Achilli,
175 quam puer Oenides tenero exoptatus ab ungui
176 est mihi. Post variae cecini convivium mensae,
177 Jupiter Oceani cum venit ad hospitis alta
178 caerulea. Sed nihil est quod me censura notandum
179 iudicis ulla putet, si tempora prima videbit.
180 Si puerum puer ipse sequens per devia verti,
181 ipse cave dicas ambos peccasse ; puer quae
182 fecit uterque, cave dicas male facta : sed ultra,
183 si tibi visa meis fuerit nota digna camenis,
184 dependas jubeo. Redeo unde exempla petebam :
185 si legis Iliados divina poemata, nosti,
186 incidit ira animo postquam indignantis Achilli
187 turbida, per sceptri specimen juratus acerni,
188 abstinuit bello, Danais inimicus adusque
189 Ajacem Teucrumque ferus. Sed ubi Actoris alta
190 progenies Patroclus obit, redit ira furorque
191 debitus in Teucros, odium crudele recessit
192 a rege et sociis ; unus fuit omnibus Hector
193 insidiis capiendus, erat mens omnis in uno
194 Hectore. Si quis erit qui te, Meleagre, lacesat,
195 ipse Menoetiades tu sis, ego magnus Achilles ;
196 esto qui invidet magnas corythaeolos Hector,
197 quem sequar inde furens divinis ultor in armis.
198 Sed nunc Sismundi felicia bella potentis
199 praemeditans, vagor Aoniis interritus antris,
200 ingentem referens pronos de vertice cursum
201 Parnasi : jam jamque citis vehor actus habenis
202 fervidus, alipedum cursuque elatus equorum

203 Castalios latices totumque Heliconae peragro,
 204 et me turba novem stipant aeternae Sorores :
 205 aenea quin etiam vox assonat, horrida Dirces
 206 arva cavae pulsans multoque invertit Olympo.
 207 Namque ego si famam cupio nomenque futurum
 208 venari, quamvis indoctus, in omnia vertar
 209 monstra, quibus possim perituram demere vitam,
 210 ignibus et terrae ridenda volumina : multis
 211 partibus, et totis forsitan, tamen usque manebo
 212 victor, et omne, senem quod me scripsisse pudebit,
 213 forsitan aggrediar, neque me vis ulla tenebit.
 214 Extudit ingenium fortuna celerrima nobis
 215 et labor et patriae nimium tenuata domi res.
 216 Haec propter, si non famae contactus amore
 217 quippe alius faceret miseram quo munere vitam
 218 degeret, audacem licet haec sperare juventam.
 219 Propter opesne malas stultus Mendocius audet
 220 usuram fenusque triplex noctesque diesque
 221 sumere, tamquam habeat tria guttura ? Proh pudor ! Ater
 222 Cerberus aut monstrum crudele Chimaera vocari
 223 dignus homo, quamquam minimo perfundat olivo
 224 grande holus, haud umquam perna fumante modesta.
 225 Prodigus interea venit et fortissimus haeres
 226 qui potitur partis, meliori forte tyrannus,
 227 hanc partem sociis, illam donare latroni
 228 qui volet. Annorum multorum magnus acervus
 229 nocte perit sola, laquei crudelia poscunt
 230 supplicia, et dignas pendit vita impia poenas.
 231 Optimus ille pater, quem me docuisse renarro,
 232 jussit avaritiae fugerem insanabile nomen,
 233 prae vitiis quaecumque dabat praecepta fugandis ;
 234 nam puerum in varias tamquam me Protea formas
 235 finxit et in multas flectebar cereus artes.
 236 At quanto is melior, tanto me verius ipsum
 237 esse bonum decet. Exemplis mordacibus ille
 238 servus Aristophanis Phoebos succenset, herum qui
 239 insanum, vates sapiens medicusque, remisit
 240 a templo et caeci vestigia perdita jussit
 241 pone sequi. Sic me stultum est concedere honori
 242 illius, is quamquam fuerit clarissimus. Atqui
 243 Parma mihi patria est, proprios cui Roma Quirites
 244 transcripsit magno genitos Mavorte decusque
 245 immortale virum ; veteres taceamus ut ipsos
 246 vel Cassi nomen vatis, vel centurionis.
 247 Haec quoque magnanimum patria est quae duxit Othonem,
 248 tam parvo ingentis fudit qui milite turmas,
 249 quicum bella pater multos mihi gesserat annos.
 250 Tale genus possem et tales jactare parentes ;
 251 quod minime faciam, neque enim virtute meorum
 252 posse rear fieri clarum me, ni mea virtus
 253 me faciat, neque enim me sanguinis elevat ordo.
 254 Castor equis, Pollux pugnis gaudebat : uterque
 255 dissimiles, uno quamvis prognatus ab ovo.
 256 Usque adeo pauci concordēs : omnia versat
 257 invidia infelix totumque perambulat orbem.
 258 Nonne putas, si sint laudent qui carmina, magno

259 munere donatos mittas quoscumque poetas ?
260 Sunt mihi qui faveant juris legumque peritus
261 Burgius et scriptis clarus Valturius armis,
262 qui docet arte modis committere proelia miris.
263 Hi mea si laudant Sismundo carmina coram
264 est satis ; id gratum nobis atque utile, magno
265 incedens animum studio juvat. Otia quando
266 fata deusque mihi posuere, tacere libido
267 nulla fuit, neque erat quod me fecisse juvaret.
268 Sollicitent alii Martem, Martisque sororem
269 terribilem et campo magnam mirentur Enyo ;
270 ille magistratus primis suspiret ab annis,
271 ambitione jecur miserum et formidine frangens ;
272 hi vada caeca petant ; illis sint moenia curae :
273 jam mihi, jam libeat nemoris jacuisse sub umbra,
274 nigrantis late nemoris, viridante vel herba,
275 fontis apud ripas, molli pro margine strato
276 gramineo, teneris vernans ubi pullulet herbis
277 muscus, et irriguis includar vallibus. O quis
278 tranquillum dorso silvae me sistat opacae ?
279 Quo tepidus Notus omnis eat, quo murmure dulci
280 frigidus aspiret Boreas, quo lene fluentes
281 mitis agat Zephyrus flores, quo durus Eois
282 Eurus anhelet equis : haec est ea vita solutis
283 ambitione viris optanda, ut Horatius olim
284 vixit et antiqui nemorosa Thalia Maronis.